Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31247
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

tue graciam consequar Et quid quid deinceps boni operis
agam extra et preter eam et intus gracia ad laudem tuam
totum peruenire facias meque deinceps tuere a peccatis et
in bonis operibus validiorem esse percipias ut quamdiu
in hoc corpusculo vivam aliquid servicii tibi semper
exhibeam Post exitum vero anime de corpore veniam
consequi et vitam eternam concedas per eum qui tecum
et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula seculorum
Tu enim fons largissime omnis boni septiformis
gracie decimus thesaurus preciosum flumen emittis cuius
suavi dulcore huius nostri maris amaram salsuginem
mitigare dignaris flumen olei leticie flumen meri
meracissimi torrens ignei vigoris Spiritus paraclitus
a patre et filio par utriusque procedens orbem terre plenitudine
per omnia replet omnia continet Spiritus ex te Spi
ritus ex patre unum cum ambobus unus ex ambobus
uniens ambos ut potens amborum individua con
nexio unificum glutinum amplexus indissolubi
lis osculum inmediatum Amor incessabilis et pax
omnem sensum exsuperans de thesauris tuis emitte
copiose Huius igitur igne spiritus tui deus pater pur
ga innova illumina inflamma exhilara et confir
ma cor meum ut tibi credam te diligam te sequar
te apprehendam et videam ac benedicam te deum deo
rum in syon Cui cum filio tuo et eodem spiritu sancto
una est gloria imperium et maiestas per infinita secula
seculorum Amen.

Mediator dei et hominum domine
Ihesu christe qui veram carnem ex
intemeratis beate marie visceribus
suscepisti Quique pro salute nostra
ipsum agnum inmaculati tui
corporis obtulisti deo patri super
aram crucis in odorem suavita
tis Atque ut antique prevaricacionis